

C. 19



S.^æ R.^æ M.^{tis}

CAROLI XII.^{mi}


Statuta & Privilegia

Clementissimè concessa

STUDIOSÆ JUVENTUTI

In Academia Livonorum Pernaviæ

ex Codice Constitutionum desumpta.



PERNAVIÆ,

Exudit Johannes Brendeken, Reg. Acad. Typogr.

10. MDCCVII



CAP. IV. Membr. III. §. V.
JURAMENTUM STUDIOSORUM



Go

Sanctè promitto me velle S.^a R.^a M.^{is}

subjectionem & fidem, hujus Academiae
Rectori, dum in hac societate studiorum
gratia haereo, debitam obedientiam praestare. Academiae quoq; statutis & Senatus

Academici decretis lubens parebo, sive studiorum meorum directionem, sive morum censuram concernant. Deinde injurias mihi illatas, temerè & ex proprio arbitratu, palàm vel occultè non ulciscar; sed in his & aliis mihi molestis casibus, Rectoris vel Senatus sententiae parebo. Ex Academia non nisi cum bona Rectoris gratia discedam; ejusdem inhibitione vel arresto detentus non aufugiam; nec nisi debita satisfactione creditoribus praestita, supellectilem & res meas, ex urbe transportabo. Promitto me quoq; promoturum commodum Academiae ad quemcunque statum pervenero.

Ita me DEUS adjuvet!

De vita & moribus Studiosorum.

I.

Pietas ab omnibus nostris Studiosis & civibus colatur, Religio vera discatur, Biblia quotidie manè & vespèri legantur: ad honorem DEI & incolumitatem hujus regni omnia studia referantur.

2. Nemo nomen DEI vanè usurpet, aut pravis cupiditatibus prætexat; Epicurèam securitatem & superstitionem quisquè fugiat, caveatquè scandalis doctrinæ & morum, studia sua deformare. Contra faciens, nisi post admonitionem se emendaverit, relegabitur aut aliàs juxta leges punietur.

3. Veritatem in omnibus Christianæ doctrinæ partibus discendis, in omnibus literis & artibus atquè disciplinis colendis, in contractibus, in sermone, in gestu, in voce & moribus, judiciis atquè amicitiiis quilibet amet & constanter amplectatur. Mendacia, falsas opiniones, in doctrinâ Christianâ & artibus vitæ necessariis, omnes obtretationes, calumnias, convicia, vanitatem, perfidiam, dolos, jactantiam, simulationes in dictis, factis & gestibus tanquam Orcum fugiant & exsecrentur.

4. Publica sacra nemo negligat, omnes ludi & obambulationes à sacris abducentes intermittantur. Qui diebus Dominicis & primariis festis, sub concione sacrâ, per pla-

reas & proximos civitati campos discurrere deprehenduntur, carcere punientur. Eâdem poenâ ii plectentur, qui sub sacris in templo, confabulationibus, ineptiis & strepitu se, aliosq; à debitâ devotione avocant, nisi admoniti se emendaverint.

5. Unusquisq; vas & corpus suum quod est Spiritus Sancti domicilium, possideat in sanctificatione & honore, nec se polluat vagis libidinibus, adulterio aut stupro, certam poenam lege determinatam secum ferentibus.

6. Venerentur singuli ministros verbi fideles, crebro & ritè utantur sacrâ synaxi, cujus neglectus post seriam admonitionem severe punietur.

7. Omnes Magistratui & Professoribus honorem debitum ac obedientiam præstent; servantq; juramenta Rectori præstita, nisi perjurii in famiâ notari velint.

8. Nemo studiorum gratiâ Pernaviâ veniens ultra octo dies inscriptionem differet, sed omnes nomen suum apud Rectorem edent, & se Magistratui Academico juramento adstringent, nec quisquam non inscriptum in sua mensa alet.

9. Qui citati à Rectore non comparuerint, carceris poenâ plectentur; si verò sententiæ Rectoris & Consistorii parere contumaciter detrectaverint, aut si arrestum vel vadium violaverint, citatiq; non comparuerint, publice relegationis poenam incurrant, quæ, ne quis ignoret, in eo consistet, quod ignominiam adferat, exercitiis ac studiis liberalibus penes Academiam interdicit, atq; quamdiu du-

raverit, ab officio docendi, & aliis publicis muneribus honorificis arceat.

10. Nemo Magnifico Rectori, Senatui Academico vel Professoribus singulis injustè obloquatur, multò minus maledicat vel resistat, sub pœnâ legibus Patriæ & Privilegiis Regiis definitâ.

11. Ad publicos actus, declamationes, disputationes, funera invitati, sedulo frequenterquè conveniant.

12. Qui nullas lectiones publicas adeunt, si admoniti se non emendaverint, ad nulla beneficia, quibus aliàs studiosi solent admittantur, sed in patriam vel ad parentes ex Academia remittantur. Industrii verò debitis præmiis ornentur.

13. Cum vero studiosi, quicumque sive nobiles, sive alii ad publicas Professorum lectiones, disputationes vel orationes quascunq; audiendas convenerint, statim ingressi Auditorium, ante introitum Professorum, loca sibi destinata occupabunt, nec aditum aliis quibuscunquè, sive januas occupando, sive in Auditorii pavimento consistendo, præcludant. Quæ verò in Academia proponuntur, diligentiam summam notent.

14. Nulli studiosorum fas sit privatim habendo collegia, docentium officia invadere. Nec quisquam præter illos qui publico docendi munere in Academia gaudent, ullam chartam publicæ tabulæ, sine Rectoris aut Decani alicujus consensu affigat. Quæcunque autem affigenda sunt, disputationes, intimationes, aut aliæ chartæ, non nisi finitis sacris affigentur.

15. Char-

15. Chartas publicè propositas, programmata Rectoris & Academiae Senatus, Professorum disputationes, vel de aliis negotiis significationes, nemo sub poenâ carceris bidui, injussus revellat.

16. Exagitationes scurriles & vexationes Scholasticorum Academiae recens adscriptorum, eorundem epulae & convivia, sive nomine accessus, sive quocunque alio titulo aut praetextu tegantur, serio prohibentur, sub poenâ relegationis tacitae vel publicae pro ratione culpa.

17. Nationalia denique conventicula pariter prohibita sunt: quotquot deprehensi fuerint talia convocasse, vel adiisse, perpetuae relegationis poenâ plectentur. Qui hisce aedes commodaverit, si Academicæ jurisdictioni subjectus fuerit, eidem poenae obnoxius sit. Sin verò alicujus aegroti vel funeris curandi causâ convenire studiosi voluerint, id fiet in aedibus Rectoris.

18. Omnes ludos inhonestos tesserarum, alex, chartarum, & similes lege prohibitos quisque vitet. Si quis deprehensus fuerit ludendo alienam pecuniam, libros, equos, aut quamcunque rem aliam, ad se transfuisse, Rector & Consistorium ablata repetet, & utrumque collusorem praeterea secundum legem plectet, & per dies quatuor carceri mancipabit.

19. Quisque suum teneat, ab alieno abstineat, sciens admissi sceleris poenam, vel exclusionem, vel aliam gravio-rem fore.

20. Solvat quisque quod mutuò sumfit, imprimis hospiti-
cibus

tibus pro victu ac habitatione; solvatque ex pacto & lege fideliter ac tempestive.

21. Omnes non necessarios sumptus, qui in vestitum indecorum, luxum, helluationes & convivia intempestiva, & alias ineptias profunduntur, quilibet fugiat; secus faciens plectetur carcere vel aliâ poenâ arbitrariâ.

22. Ab omnibus injuriis, vi, fraudibus & cædibus aliorum corpora lædentibus & vitam, sub poena legibus expressâ; à seditiosis tumultibus sub poenâ capitis, ab ædium oppugnationibus, & fenestrarum elisionibus, januarum effractionibus sub poenâ relegationis aut graviori unusquisque abstineat.

23. Si quis in civitate noctu vel interdiu globum plumbeum vel ignes missiles ejaculatus fuerit, is sciat se hoc ipso facto in relegationis poenam incidisse; si noctu vel interdiu bombardam pulvere pyrio solum oneratam exploserit, carceris poenâ plectetur, bombardam Reçtori cedat.

24. Quicumq; ultrâ horam nonam in cauponâ defecerit, aut clamores nocturnos aut diurnos, aliasve grassationes exercuerit, secundum peculiare Academiae statutum plectetur. Cauponarius post nonam vinum vel cerevisiam vendens, à Magistratu urbano poenâ secundum legem eandem afficietur.

25. Si qui deprehensi fuerint personati grassatores, qui nocturnos congressus cogunt, vel iis interfunt, relegabuntur in perpetuum.

26. Gladium interdiu circum ferre interdictum sit: qui
cun-

eundem quocunque tempore temerè strinxerit, nisi apertè
vi impetitus id fecerit, illum amittet.

27. Qui duello conflixerit, tam provocans quam provo-
catus tenebitur pœnâ novissimâ lege constituta.

28. Nullius mores quisquam intamiâ notet, nec bonos &
innocentes fictis criminibus, sycophanticis calumniis, vel
libellis famosis laceret. In transgressores deprehensos in-
fami exclusione è tota Academiæ societate, & ab omni in
patria officio prohibitione graviter animad vertetur.

29. Discant verò Studiosi Adolescentes nec superbè vel
arroganter nec nimis abjectè de se sentire, de què præsentì
Reipublicæ statu, unde frequenter oriuntur de rebus variis
querimonix & lamentationes, exterarum rerum admira-
tio, desperatio de rebus & actionibus præclaris, magnum
in Reipubl. administratione impedimentum. Quæ omnia
educatione & informatione corrigenda sunt, ut erigantur
maturè juvenum animi ad spem meliorem & præclaras a-
ctiones, ubi etiam singularis præceptorum industria requi-
ritur.

30. Studiosorum nemini ad exteras nationes & Acade-
mias ire licebit, nisi qui secundum vitæ suæ institutum, ne-
cessariæ eruditionis partibus, omnino vero cognitione ar-
ticulorum fidei in Symbolis & confessione Ecclesiæ Sve-
canæ locorumque Theologicorum auctore in Academiâ
recepto, mediocriter instructus fuerit, profectoque suo Pro-
fessoribus probato, testimonium Rectoris & Decanorum in
frequenti Senatu recitatum impetraverit.

NB.

31. In universum autem ab Academicâ societate, qui in
NB. patriâ & cum primis Dicecesibus promoveri cupit, absque
Rectoris Academiae testimonio non discedet.

CAP. XXIV.

De Privilegiis Studiosorum.

STudiosus intra sex miliarium spati-
um ab urbe Pernavia, sine auctoritate Magistratus A-
cademici, capi aut de delicto conveniri non debet, nisi in-
flagranti crimine deprehensus fuerit, vel nefarium aliquod
facinus machinetur, aut perpetrato enormi scelere fugam
eum parare certo constet; tum ab aliis apprehendi, & Ma-
gistratui Academico sisti debet.

2. In alieno foro si studiosus litiget, sine dilatione causa
dijudicetur; quod si superior evadat, magistratus ille, qui
iudicio præest, nisi sententiam cito exequatur à supremo
Regis iudicio poenâ arbitrariâ & convenienti mulctetur.

3. Si injuriâ ab aliis quibuscunque, citra omnem suam
culpam affectus fuerit, qui injuriam intulit, ultra ordinari-
am & legibus definitam poenam, viginti marcas, læso pen-
dere tenebitur.

4. Si studiosum contingat occidi, fide jussorem pro eo
accipere nequaquam licebit, si capi interfecto possit.

5. Propter contractum æ alienum, Studiosus carceri non
mancipabitur, si modo sponsores dare poterit.

6. Studiosus habeat immunitatem omnium onerum pu-
blico-

blicorum, contributionum, pécuniarum de suo capite, & similibus

7. Studiosi libros, quos acceperant à patre, (in divisione hæreditatis) in commune conferre cum cæteris hæredibus, qui in literis non occupantur, nisi volentes, non tenentur, sed pretium dent, libris retentis.

8. Studiosi habebunt vacationem militiæ, cujuscunque fortis sint vel conditionis, nec sub quocunque denique titulo ad eam inviti trahentur.

9. Studiosis proprium habere fiscum licebit, unde sumptus tum ad Studioforum extremè pauperum sepulturam, quando mori illos contingit, tum ad compensandam operam Medicorum, qui ægrotos itidem pauperes visitare tenentur, deponi possint. Colligetur autem stipēs hoc modo, ut singuli, sive Scholares antequam deponantur, sive advenientes Studiosi antequam inscribantur, apud Decanum, in capsulam hunc in usum factam, sex ad minimum marcas inferant, idque unà cum nomine suo in libro rationum, qui itidem cum in finem apud Decanum erit, manu suâ annotent; capsulæ hujus duæ erunt claves, quarum unam Rector, alteram Decanus habebit. Nec Decanatu suo quicquam exhibit, nisi prius ex capsula ista, quicquid æris collatum est, in fiscum studioforum, in arario Academiæ asservatum, transfulerit, præsentē Quæstore. Fiscus hujus similiter duæ erunt claves, quarum unam Rector custodiet, alteram Quæstor. Qui quoties ad similes usus quicquam inde depromendum est, simul aderunt, & in peculiari libro,

in eodem fisco perpetuo asservando, ablatam inde summam, tempus nomenque eorum, quibus quicquam impenditur, diligenter manu eorum qui depromunt, curabunt designari.

10. Studiosus quilibet qui nomen suum apud Academiae nostrae Rectorem est professus, potestatem habeat audiendi publicas Professorum lectiones, discendi artes bonas, literasque, consulendi de studiis suis eos, quibus publice docendi munus est commissum, & petendi ad eundemque privata collegia.

11. Studiosus quilibet potestatem habeat, majoris in studiis suis auxilii gratia, ad eundemque bis in singulis hebdomadibus Bibliothecam, inspiciendorum bonorum librorum, legendorumque, excerpenti quoque facultas concedatur.

12. Qui feliciori fuerit ingenio, atque in studiis egregie profecerit, beneficiis Academicis atque honoribus praeter aliis ornabitur; atque QUI GRADUM IN PATRIA ADQUIRIT, IN DOCENDI MUNERE PUBLICO, IN ECCLESIIIS VEL SCHOLIS ATQUE ALIIS HONORARIIS, RELIQUIS PRAEFERATUR.

13. Ob pestem grassantem, pretii locationis dimidium studiosis pro rata remittatur.

14. Studiosus, nisi biennio toto absuerit, privilegia non amittat, neque intra id tempus reversus, de novo quicquam pro inscriptione solvat.

15. Privilegia haec ad eos tantum pertinent, qui se sicut Studiosos decet, in Academia gerunt, de quo Rector & Consistorium cognoscat: ceteri omnes excludantur.

Qui S.^z R.^z Majestati parent & hujus Regni Indigenæ sunt, accipient gradum in Regni hujus Academiis; qui secus fecerit in docendi munere publico in Scholis & Ecclesiis primariis, ceteris erit posterior & graduum privilegiis in hoc Imperio carebit. NB.

Has Constitutiones, prout conceptis verbis expressa sunt, ab omnibus & singulis quorum interest, accuratè servari debere præcipimus, potestatem deferentes. Academia Magistratibus & Inspectoribus, Academiam secundum præscriptas leges gubernandi, & earundem contemptores & violatores debita poena afficiendi. Mandamus vero iis omnibus, quibus Academia administratio commissa est, aut in posterum committenda erit, ut officii sui memores, propositarum constitutionum præscriptum urgeant, sicq; res omnes dirigant, ut quod à nobis ex pia erga Deum & patriam affectione profectum est, felices successus sortiatur in Dei gloriam & Reip. incrementum. In rei fidem hac propria manu subscripsimus, & nostrum sigillum scienter apponi curavimus. Datum & scriptum in arce nostra STOCKHOLMENSIS, die 28. Januarii, Anno 1689.

CAROLUS.

(L. S.)

B 3

PRO.

PROGRAMMA
S.^æ R.^æ M.^{tis} SENATORIS
CAMPI MARESCHALLI, GENER. GUB. LIVON.
&
ACADEM. DORPATENS. CANCELLARIII
Illustrißimi Excellentissimiq, Comitæ ac Herois
DOMINI
JACOBI JOHANNIS HASTFER.
Exoptabili restaurationis tempore pu-
blicatum. Rigæ d. I. Julii A. MDCXC.

Seine Königl.
Majtt. unser Allergnädigster Kö-
nig und Herr aus sonderbahrer Vor-
sorge vor den innerlichen Wohlstand und Aufnahmen
dieser Province auch unter andern die Wiederauffrich-
tung der durch die vorige unglückliche Kriegesläuffte ver-
fallenen Academie zu Dorpt allergnädigst angeordnet/
selbige mit gelahrten Professoren, geschickten Sprach- und
Exercitien-Meistern auch heylsahmen Gesetzen und Ord-
nungen

nungen versehen; So haben Höchstged. Königl. Mayt.
nunmehr die erneuerte Einweihung dieser Univerſitat
mit einem anständlichem Gepränge ehestens zu verrich-
ten nachdrücklich anbefohlen. Zur gehorsamsten Er-
füllung dieses Königl. Befehls hat man den 18. August.
lauffenden Jahres anzusehen vor dienlich erachtet / ge-
stalt denn hiemit allen und jeden solches Kund gemacht/
insonderheit aber E. E. Ritterschafft sampt der Priester-
schafft und Magistraten in den Städten so wohl dieses Für-
stenthumbs als Ehst- und Ingermanland mit Ihrer Ge-
genwart die lustre dieses Actus zu vermehren gebührend in-
vitiret werden. Weils nun durch diese Königliche Gnade
dieser Province und denen anliegenden Ländern / eine grosse
Bequemligkeit eröffnet wird / ihre Jugend mit geringen Un-
kosten und Beschwerde auff dieser Academie zu halten / und
dieselbe in nützlichen Künsten / Sprachen und Wissenschaft-
ten unterrichten zu lassen; So Wird E. E. Ritterschafft nicht
allein / sondern auch alle andere wes Standes sie seyn mö-
gen / hiemit ermahnet / denen aber / so in frembden Pro-
vincien wohnen / Anlaß gegeben / sich solcher Gelegenheit
zu bedienen / und die Ihrige der Pflege dieser Hohen-
Schulen zu untergeben / allermassen denn Höchstge-
dachte Königliche Majestät dieselbe mit dem herrli-
chen Vorzuge begnadet / daß die jenigen / welche all-
da sich ihrer Studien wegen aufgehalten / vor an-
dern mit Beforderung / nach Befindung ihrer Tüch-
tigkeit / angesehen / dagegen niemand zu publicq Amp-
tern

NB.

tern gezogen werden soll / der nicht zum wenigsten 2. Jahr
auff dieser Königl. Universitat sich aufgehalten / und die
Preuven seiner Erudition und Geschicklichkeit abgelegt
habe. Wornach sich ein jeder / den es angehet /
zu richten. Gegeben auff dem Königl.
Schlosse zu Riga den 1. Juli 1690.



S. W-sky: 5
Samling. 12527